Picht, Johannes Heinrich
Halle a/d. S.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

HISTORIAM PERIPNEVMONIAE VERAE

CVM ALIIS

MORBIS COMPLICATAE EIVSQVE EXPLICATIONEM

EXHIBENS

QVAM

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO

FACVLTATIS MEDICAE SENIORE ETC.

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

SOLEMNITER CONSEQVENDO

D. VIII DECEMBRIS CIↃ IↃCC LXIX.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES HENRICVS PICHT

MAGDEBVRGICO-CALBENSIS.

HALAE MAGDEB. LITTERIS STEPHANIANIS.

A

SON ALTESSE ROÏALE

MONSEIGNEUR LE PRINCE

FREDERIC HENRI,

PRINCE DE PRUSSE,

MARGRAVE DE BRANDEBOURG, PREVOT D'HALBERSTADT

ETC. ETC. ETC.

MONSEIGNEUR

Je ſerois coupable de la plus noire ingratitude, ſi je manquois de ſaiſir l'occaſion favorable, qui ſe prèſente pour rendre un témoignage public des graces, dont VOTRE ALTESSE

ROÏALE *m'a comblé, et des obligations, que je* LVI *en ai. Daignez donc reçevoir favorablement la Dissertation, que j'ai l'honneur de* VOUS *prèsenter comme une preuve de mon application aux études, et comme un échantillon du profond respect et du parfait dévouement, avec lequel je ferai toujours gloire, d'etre et par devoir et par reconnoissance*

MONSEIGNEUR

DE VOTRE ALTESSE ROÏALE

LE PLUS HUMBLE, ET LE PLUS
OBEISSANT VALET

JEAN HENRI PICHT.

PRAEFATIO.

Finis diſputationum, quae pro impetrandis honoribus academicis ventilantur, cum in eo poſitus eſſe mihi videatur, vt aequo iudici ſtudiorum academicorum rationem reddamus, et nonſolum vera firmaque principia eruditionis in ſcholis doctorum virorum nos hauſiſſe, ſed etiam meditando in noſtrum vſum, publicamque vtilitatem ea conuertere nos valere, probemus: argumentum pro elaborando ſpecimine inaugurali quaeſiturus, minime ad rem meam pertinere putaui, circa arduam quandam doctrinae ſalutaris partem verſari, eiusmodique cogita-

tionum

tionum, quae iis rebus, in quibus magna adhuc eſt obſcuritas, nouam lucem affundere poſſint, periculum facere. Quodſi autem omnis medicorum cognitio in id conſpirat, vt ſanitatem corporis humani conſeruent, et morbos recte perſpiciant ac bene curent, ſatis eſſe mihi videtur, muneris mei explendi cauſa, hiſtoriam morbi cuiusdam complicati, quem Berolini ante aegrotorum lectos me in arte ſalutari inſtruendi egregiam nactus occaſionem obſeruaui, delineare et ex principiis pathologicis et therapeuticis explicare. Quamquam per innumeras iam conſtat experientias, quot quantaeque turbae a vermibus in inteſtinis nidulantibus in ſanis aeque ac aegrotis corporibus excitari poſſint; tamen noſtram etiam obſeruationem aliquid ſingularis prae ſe ferre, mihi perſuadeo. De hoc tantummodo TE adhuc monere volo, Beneuole Lector, quod ad complicationem ipſam exponendam magis, quam ad ſingula quaelibet totius morbi momenta euoluenda reſpiciam, igiturque paucis Vomicae pulmonalis curam attingam.

HISTO-

HISTORIA MORBI.

Vir 30 annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, agreſti labori adſuetus, plethoricus, multos abhinc annos bona valetudine gaudens, verno tempore, poſt admiſſum in itinere, quod pedibus ingreditur, corporis refrigerium, ſubito vehementi peripneumonia vera dextri lateris corripitur. Incipiebat morbus horis matutinis cum leui horripilatione, quem tuſſis et dolorifica reſpiratio praecordiorumque magna anxietas excipiebat, vna cum pulſu celeri, frequenti et paruo. Pertundebatur ſtatim in initio vena brachii in latere affecto; ſed quamuis haud exigua ſanguinis copia emittebatur, omnia tamen ſymptomata cito increſcebant, inſignis dolor capitis, rubor faciei paene liuidus, oculorum prominentia accedebat, metusque ſuffocationis fere aderat. Sanguis e vena miſſus cruſtam inflammatoriam inſignis craſſitiei exhibebat. Qua de cauſſa altera tertiaue vice, eodem adhuc die, venaeſectio repetita fuit. Adhibebantur inſimul decocta ex hordeo et radice ſcorzonerae parata cum nitro et melle, potiones ex aquis diapnoicis, pectoralibus, et oxymelle ſquillitico compoſitae, vapores decocti emollientis ore ſugendi, clyſteres emollientes, et pediluuia. Nox paululum tranquillior fuit ipſo die, et quamuis omnis ſomnus defuit, ſymptomatum tamen vis verſus tempus matutinum remiſit, cute nonnihil madida facta. Subſequente die pulſus minus paruus et frequens, reſpiratio au-

 tem

tem facilior deprehendebatur. Sed hora meridiana de pruritu quodam in regione ſcrobiculi cordis aeger quaerebatur, quem horripilationes, immo rigores totius peripheriae corporis, cum aucta ſpirandi difficultate, et dein plures ſternutationes ſequebantur, quadrantem horae durantes, et bis veſperi adhuc recurrentes. Die tertio ſputum craſſum ſanguine remixtum, nec non vrina, ſedimentum album ponens, prodire coepit, a quo tempore omnia ſymptomata, ſi pruritum in praecordiis, horripilationes et rigores ac ſternutationes excipias, magis magisque declinauerunt. Illa enim quotidie per duas vel tres vices, ſed ſine ordine, aegrum corripuerunt, et quidem die ſexto tanta vi, vt bis animo deficeret. Hoc etiam die ſputum cruentum plane ceſſauit. Caeterum dolor pectoris, ipſaque febris fere diſceſſerat, manente dyſpnoea et tuſſi, omniaque ſigna ſuppurationis in pulmonibus euenientis ſeſe exhibebant. Hucusque eandem methodum medendi, quam in initio elegeramus, continuauimus, infuſo ſcordii cum paucis guttulis liquoris anodyni, et frequentiori vſu clyſterum emollientium, vt ſpaſmorum cutaneorum et ſternutationum vis infringeretur, in auxilium vocato. Peripneumonia autem in vomicam degenerante, medicamenta antiputredinoſa, mundificantia et diuretica propinata ſunt. Die decimo inſignis copia puſtularum miliarium albarum in cute prodierunt, aegro nec melius nec peius inde ſe habente. Sed ſubſequente die dolore colico in ſiniſtro latere affectus eſt, quem mox deiectiones multae liquidae exceperunt, nullum leuamen afferentes. Applicantur clyſteres diluentes et leniter abſtergen-

ſtergentes, quorum frequenti vſu tandem die duodecimo excretio ſtupendae copiae ſcybalorum duriorum et decem lumbricorum efficitur. Quo facto diarrhoea dolorque colicus ſedabatur, et horripilationes et ſternutationes, qui ad hunc vsque diem frequentiſſime repetebant, plane ceſſabant, et intra duorum dierum ſpatium, exanthemata euaneſcebant, nec aeger de vllis aliis malis amplius quaerebatur, niſi de iis, quae vomicam pulmonalem ſequi ſolent. Rumpebatur tandem abſceſſus feliciterque eiicebatur materia purulenta, et ſucco naſturtii aquatici, fumariae, chaerophylli, melle et pauxillo myrrhae in auxilium vocatis, omnis ſanitas perfecte rediit, nullo vitio pulmonum remanente.

§. I.

Morbum, cuius hiſtoriam ſimplici, vt credo, ſermone enarraui, e complicatorum numero fuiſſe, quilibet ſtatim, vel fugitiuo oculo eum contemplans, mecum conueniet, nec dubium habebit, haud vnam eandemque complicationem per totum eius decurſum conſtituiſſe, ſed, quam primis diebus obſeruare licuit, ſecundo ſeptenario in aliam aliamque tranſiuiſſe. Quapropter, vt debito ordine rem nobis propoſitam agamus, complicationem pro diuerſa, quam vario tempore habuit, facie, ita perſcrutabimur, vt ſingulos morbos ſibi implicatos euoluamus, ſymptomata aeque ac cauſas eorum eruamus, et hac ratione, quomodo alii ab aliis orti ſint, probemus; dein autem, quid in ſinguli morbi decurſu, quem ſibi, ſi ſolus adfuiſſet, vin-

dicaturus fuiſſet, a reliquis ſimul praeſentibus mutatum et effe-ctum ſit, monſtremus, et tandem de quibusdam ad curationem pertinentibus cogitationes noſtras proferamus.

§. II.

Initium totius morbi a peripneumonia vera factum eſt, cu-ius cauſſam in refrigerato corpore quaerendam eſſe, ipſa obſer-uatio docet. Frigidiori enim aere inſpirato, vaſa pulmonum conſtringuntur, ſubtiliores partes ſanguinis exprimuntur, craſ-ſiores condenſantur, ſtaſes humorum fiunt, in corpore vegeto inflammationem breui excitaturae. Quod in noſtro aegroto eo facilius ita euenire potuit, quo maior vis eſt aeris in pulmo-nes, dum iter facimus, irruentis, cum praeterea ſanguis per motum muſcularem velocius moueatur, et in minora vaſcula lateralia impellatur, ibique leui obſtaculo ſiſti poſſit. Attamen haud negabo, denſiorem forte ſanguinem, quem in homine agreſti labori dedito ſubſumere debemus, diſpoſitionem quan-dam ad morbos inflammatorios praebuiſſe. Caeterum conſuetis ſymptomatibus, ſed vehementibus, ſtipata fuit peripneumonia, per repetitum tamen venaeſectionis vſum mitigatis.

§. III.

Sed pulmonum inflammationi eiusque febri alius generis morbus ſe comitem dedit. Aderant enim horripilationes, im-mo rigores, ſternutationes et prurientes in regione ſcrobiculi cordis ſenſationes, quae ſymptomata cum ſimul ſemper appare-

rent,

rent, ſimulque iterum euaneſcerent, vnam eandemque cauſſam ſibi vindicare videntur, quae anne in ipſa peripneumonia, vt morbo idiopathico, poſita fuerit, quaeri poteſt. Quodſi enim in multis morbis acutis ſaepe intercurrentes horripilationes et rigores accedunt, cerebro imprimis, diaphragmate et primis viis male affectis, vel ſuppuratione in internis partibus nata, nec non ſternutatio a diaphragmatis irritatione ortum ducere poteſt, congeſtiones autem ſanguinis vel ipſae leuiores inflammationes ob peripneumoniam facile in diaphragmate locum inueniunt, et pruritus in regione ſcrobiculi cordis inde etiam deriuari poteſt, iſta quaeſtio profecto non plane reiicienda eſt. Nec opponere liceret, febre inflammatoria ipſaque inflammatione circa finem primi ſeptenarii multum remittente, ſymptomata iſta nonſolum non ceſſaſſe, ſed potius nouam vim acquiſiuiſſe, ſiquidem ſtatus ſuppuratorius in pulmonibus obtinuit et fere eosdem effectus ac inflammatio, producere potuit. Sed perpendere velis, primo die iſta phoenomena non adfuiſſe, cum tamen morbus inflammatorius tunc in ſummo vigore et congeſtiones ſanguinis in pectore maximi gradus fuerint. Quod autem maioris momenti et ponderis eſt in hac cauſa, horripilationes, rigores, ſternutationes et pruritus in praecordiis, ſtatim ac lumbricorum eiectio facta eſt, conquieuerunt. Quapropter peculiarem morbum idiopathicum illis ſymptomatibus aſſignemus, neceſſe eſt. Nec alte ille repetendus erit. Quis, quaeſo, dubitabit, quin ſpaſtica inteſtinorum affectio a vermium irritatione inducta, cauſſam dictorum ſymptomatum ſubminiſtret? Per

multiplicem enim experientiam conſtat, inter alimentorum canalem et integumenta corporis externa eximium obtinere conſenſum, quo fit, vt ſpaſmi in illo a quacunque cauſa nati, quam facillime ad vaſa cutanea transferantur; hinc autem horripilationes et rigores. Quoad ſternutationem vero, quamuis illam non ſat accurate explicare valeamus, tamen veroſimile eſt, ex communicatione neruorum abdominis cum pectore, illam originem traxiſſe. Nam ex Anatomia patet, primum ramum nerui quinti paris cum ramis ſexti paris ſe coniungere, et hos cum radicibus Medullae ſpinalis coniunctim, Neruum intercoſtalem, vel a WINSLOVIO ſympaticum maximum dictum, conſtituere. Hic autem, quia fere cum omnibus viſceribus ramos communicat, praeter pulmones, laryngem, oeſophagum, ventriculum etc. et ſe nonnumquam cum neruo phrenico ſeu diaphragmatico coniungit, praeterea adhuc plexum meſaraicum conſtituit, a cuius quinto plexu tandem rami, aeque ad inteſtina tenuia, ac craſſa tendunt, et igitur cum multis partibus inter ſe connexi ſunt: et pruritus in praecordiis ſenſationem a vermibus eſſe productam, cum ſymptomatibus iam expoſitis ſeſe ſemper comitem praebuerit, et cum illis vna diſceſſerit, iudicandum eſſe puto, quamquam debito modo illam explicare non valeam. In genere quidem magna obſeruationum copia docemur, irritationem neruis inductam non ſemper in illa parte, vbi nata eſt, ſenſatione quadam ſe manifeſtare, ſed potius ad longe alia loca ſeſe propagare, ibique ſenſum quendam excitare. Sic, vt exemplis loquamur, pruritus circa nares frequens indicium vermium in

inteſtinis nidulantium exhibet, ſimilique ratione calculus veſicae vrinariae prurientem dolorem in glande penis mouet. Sed illuſtrat tantummodo haec analogia cauſſam noſtram, minime vero eam explicat atque demonſtrat. Caeterum cum in totius morbi decurſu, nihil ab illo ſymptomate dependere videatur, mei parum intereſt, quomodocunque iſta ſenſatio ſit producta.

§. IV.

Nec magis ad ſcopum noſtrum pertinet, in cauſſam externam qua vermes in aegroti inteſtina introducti ſint, inquirere, cum nec leuiſſimum auxilium in explicatione praeſentis caſus inde ferremus. Id tamen ſilentio praetermittere non licet, quod vermes, antequam peripneumonia orta fuerit, nullum morbum, talem certe, quem percipere potuiſſet aegrotus, excitauerint, ſed ea demum accedente, corpus vexauerint. Inuenimus omnino homines verminantes ab omnibus incommodis, quibus illi hoſtes inteſtinorum canalem obſidentes ſe manifeſtare ſolent, liberos, donec hic vel ille morbus oriatur, et vermium exagitandorum occaſionem inducat. Quod febris multum in hac re valeat, facile perſpicitur. Aeſtum enim accendit et ſiccitatem inteſtinorum aeque ac reliquarum partium corporis humani, et humores, imprimis autem bilem, acres reddit, quae conditiones iam ſufficere videntur ad vermium excitandos motus. Sed accedit etiam, quod aegri febri laborantes, parum cibi aſſumant, igiturque chyli defectus oriatur. Tandem et medicamentorum a nobis adhibitorum mentio fieri

debet,

debet, quippe quae ſcillae acrem materiam vermibus aduerſam in ſe continebant.

§. V.

Patent igitur illi affectus, qui morbum complicatum primi ſeptenarii conſtituerunt, nimirum peripneumonia vera et ſpasmus inteſtinorum, quem horripilationes, rigores, ſternutationes, et pruritus in praecordiis ſymptomatice ſecuti ſunt (§. III. IV.) Et ſatis euictum eſſe, nobis perſuademus, eam quem nouiſſime delineauimus, inflammatoriam febrem pro cauſſa occaſionali agnoſcere. Quibus praemiſſis, quid in vtriusque decurſu per ipſam complicationem determinatum ſit, conſiderare licet.

§. VI.

Multa ſe praebent in hiſtoria morbi ſigna, e quibus colligi poteſt, peripneumoniam benigna reſolutione in ſanitatem ſe conuerſuram fuiſſe, niſi alius morbus medicatricis naturae ordinem medicamentorumque effectus turbaſſet. Vehementia morbi, larga ſanguinis copia e venis emiſſa aliisque remediis in auxilium vocatis, haud parum remiſit, pulſus maior eſt factus, ſputum craſſum ſanguine mixtum aeque ac vrina, ſedimentum deponens, die tertio prodire coeperunt, morbumque leuarunt, quibus ita ſe habentibus, profecto certa ſpes concipi poteſt, fore, vt peripneumonia die ſeptimo benigne reſoluatur. Sed vana noſtra ſpes fuit. Sexto enim die ſputum ceſſauit, manente dyſpnóea

dyſpnoea, et inflammationem in ſuppurationem exitum feciſſe, ſubſequens morbi ſtatus probauit. Quam igitur reſolutionem impeditam, vt ab altero morbo ſimul praeſente repetamus, ſequentes ſuadent rationes. Reſolutio inflammationis fit, vel retropulſu particularum ſtagnantium e vaſis minoribus ad ramos maiores, vel transmiſſione earum per oſcula vaſorum, quae obturauerant, ad venas, telam celluloſam, cauitates. Si prior modus obtinere debet, neceſſe eſt, vt valida vaſorum, in quibus ſtaſes humorum ſunt, contractio excitetur, ſtagnantes particulae adhuc in initio vaſorum haereant, impetus ſanguinis a tergo venientis non ſit vehemens, nec rami arteriarum maiores a congeſto ſanguine nimis turgeſcant. Quae igitur per dies aliquot continuata eſt inflammatio, cum magis magisque verſus extremitates vaſorum propellantur particulae ſtagnantes, ea ratione ſolui non poteſt. Dein in pulmonibus imprimis ille reſolutionis modus maximam inuenit difficultatem, cum laxiora ſint eorum vaſa, idque propter minori contractionis vi valeant, impetus ſanguinis ob vicinitatem cordis perquam vehemens ſit, et reſpiratione non rite ſuccedente, ſanguis in pulmonibus coaceruetur, magnaeque oriatur omnium vaſorum maiorum turgeſcentia. Qua de cauſſa reſolutio inflammationis per retropulſum in praeſenti caſu locum non inuenit. Alter autem reſolutionis modus, quo particulae ſtagnantes per extremitates vaſculorum emittuntur, tum demum obtineri poteſt, cum fluor concreto concilietur, extrema oſcula laxentur et fortior ſanguinis a tergo irruentis efficiatur impetus. Quas conditio-

ditiones in noſtro aegro adfuiſſe, ob ſputum mucoſum cruentum et vrinam hypoſtaticam cum leuamine prodeuntem, iudicamus. Nec dubitari poteſt, quin perfecta reſolutio euaſura fuiſſet, niſi morbus a vermibus inductus graue impedimentum illi poſuiſſet.

Primo enim ex horripilatione et rigore animaduertere licet, valida conſtrictione vaſa arterioſa et imprimis minores eorum propagines affectas fuiſſe, idque propter vim motus progreſſiui ſanguinis verſus ſtaſeos loca imminutam, incipientem relaxationem canalium cohibitam, moleculas in illis haerentes magis compreſſas et condenſatas, eaque ratione quascunque conditiones ad reſolutionem requiſitas ablatas fuiſſe. Accedit etiam, quod humoribus ſub horrore e peripheria corporis retropulſis, congeſtiones verſus partes interiores et praecipue verſus pulmones naſcantur, quibus in maioribus vaſis diſtenſio, in minoribus compreſſio, indeque nouum obſtaculum reſolutioni peripneumoniae ponatur.

Secundo ſternutationem, quam ſpaſmi vaſorum, de quibus diximus, comitem habuerunt, non poſſumus non inter cauſſas impeditae reſolutionis perfectae inflammationis referre. Quamquam enim, cum totum pectus concutiat, omnesque eius humores moueat, aliquis ſalutaris effectus in hac re ſperari poſſit, accuratius tamen naturam huius actionis, ipſumque tempus quo coepit, et quo ſummam vim manifeſtauit, perpendentes, plus detrimenti quam vtilitatis aegro intuliſſe euincimur. Cum enim, vt primum incipit ſternutatio, maxima inſpiratione, capite

retror-

retrorſum ducto, aer attrahatur, et quodammodo in pulmonibus retineatur, omnia eorum vaſa nimiam patiuntur elongationem et arctationem, humorum motus progreſſiuus retardatur, et fluidores exprimuntur particulae. Primo igitur ſternutationis actu, reſolutio ſtaſeos nonſolum non adiuuatur, ſed potius cohibetur. Sed tum ſequitur ſumma et citiſſima exſpiratio, omnibus fere muſculis et thoracis et abdominis violenta conuulſione ad illam conſpirantibus, qua vaſa pulmonalia ab elogatione remittuntur, velociſſime comprimuntur, magnaque vis humoribus ad motum conciliatur. Haud igitur deeſt ratio, qua ſternutatio exſpirationis tempore reſolutionem materiae ſtagnantis, dummodo non nimis ſit impacta, efficere poſſit. Magna autem canalium obturatione facta, cuiusmodi illa eſt, quae inflammationem excitat, fruſtra illam reſolutionem velociſſima vaſorum concuſſione ſubito perficiendam expectamur, ſed et magis metuendum habemus, ne expulſis per fortiſſimam preſſionem particulis aquoſis reliquus ſanguis magis coeat, et vlterius propulſus anguſtiori diametro occurrat. Nec minori attentione dignum eſt, ſternutationem initio morbi, ſecundo nimirum die iam incoepiſſe, quo tempore coctio materiae inflammatoriae nondum facta fuit, eoque magis illius maturitati obſtitiſſe. Quod dein etiam dolor per ſternutationem auctus inflammationis incrementum excitauerit, nemo infitias ibit.

Quodſi igitur ſternutatio aeque ac vaſorum conſtrictio ſub horrore inducta tam grauia impedimenta reſolutioni ſtaſeos inflammatoriae in pulmonibus opponit, quolibet autem die per

 plures

plures vices illa ſymptomata recurrerunt, et ſexto die, qui criticum proxime antecedit, tantae fuerunt vehementiae, vt animi deliquia pateretur aegrotus, clare perſpicitur, exitum peripneumoniae verae, quem ſibi, vti excretiones ſupra adductae ſignificabant, vindicatura fuiſſet natura per reſolutionem, ob alterum morbum inflammationi implicatum, impeditum fuiſſe, aliumque eius loco eueniſſe.

Nunc autem cum triplici modo, vel per ſuppurationem, vel per gangraenam et ſphacelum, vel per ſcirrhum finiri poſſet peripneumonia cur primus nec alius modus locum inuenit quaeſtio erit, cuius tamen reſponſionem, complicatione totius morbi, quam potiſſimum tractare nobis propiſitum eſt, nullum ſuppeditante huius cauſae principium, ſilentio praetermittere poſſumus. In genere autem id addere licet, quod quaeuis inflammatio, quae ad reſolutionem diſpoſita eſt, vel eius beneficio decreſcere iam incipit, impedimentis quibusdam huic exitui obuenientibus, niſi inſimul nouum incrementum capiat morbus, vel putrida humorum acrimonia naſcatur, vel vis vitalis deſtruatur, quae ſingula gangraenae ortui fauent, vel omnis fluidior pars ſanguinis ſtagnantis auferatur, inerti tantummodo et craſſiori materia relicta, vnde ſcirrhus generatur, in ſuppurationem abeat. In praeſenti vero caſu, reſolutio inflammationis per plures dies bene ſucceſſit, et quamquam dein ſufflaminata eſt, iſtae tamen conditiones, quae gangraenam et ſphacelum vel ſcirrhum gignere potuiſſent, nullo modo ſeſe manifeſtarunt. Nec de medicamentis in auxilium vocatis dubium eſſe poteſt, non

non ſuccedente reſolutione, ad promouendam certe puris generationem ea contribuiſſe.

§. VII.

Quod ad alterum attinet morbum a vermium irritatione in primis viis productum, eiusmodi quidem fuerunt ſymptomata illum concomitantia, vt ſufficientem eorum cauſſam in ſe continere videatur; attamen cum non in omnibus aegrotis verminantibus eadem phoenomena appareant, ad peculiarem quandam corporis conſtitutionem, vt concauſſam, in explicatione eorum attendendum eſt, quo ipſa peripneumonia forte referri poteſt. Ob febrem enim inflammatoriam maior vaſorum ad ſpaſmos procliuitas obtinuit, igiturque omnis cauſſa illorum conſtrictiones effectura, ſi etiam per ſe huic negotio impar fuiſſet, fortiorem vim actione ſua praeſtare potuit. Dein congeſtiones ſanguinis verſus capitis partes et diaphragma e pulmonum inflammatione deducendae, tunicae pituitariae in naribus, et fibrarum diaphragma conſtituentium, expanſionem produxerunt, eaque de cauſſa neruis illarum partium (§. III.) tenſionem inducendo occaſionem praebuerunt, vt eo facilius ſternutatio a vermibus excitari poſſit.

§. VIII.

Quae de morbis primi ſeptenarii diſſeruimus, viam nobis ſternunt, ad ſubſequentem ſtatum aegroti diiudicandum. In initio enim ſecundi ſeptenarii iidem ſpaſmi a vermibus nati, ac

antea corpus affligcrunt, et quae incoeperat in pulmonibus ſuppuratio continuata eſt, perſiſtente, ſine dubio, leui inflammatione eamque adiuuante. Mox autem noua morbi ſpecies in primis viis dolore colico et diarrhoea ſeſe manifeſtauit, quam forte etiam a vermibus deriuandam eſſe putares, niſi quaeſtio obſtaret, cur ita re ſe habente, antecedentibus diebus haec ſymptomata non apparuerint. Et quamuis haud negaturus ſum, vermes concauſſam doloris colici et diarrhoeae, tum irritando, cum acrimoniam producendo, praebuiſſe; potiſſimum tamen ad obſtructionem canalis alimentaris ab induratis foecibus factam reſpiciendum eſſe mihi videtur. Quam enim adfuiſſe, inſignis copia ſcybalorum aridorum poſtquam multae deiectiones liquidae prodierant, per aluum eiecta, ſatis teſtatur. Cauſſam eius tam in exſiccatione inteſtinorum, febrili calore determinata, quam in ſpaſmis illorum a vermibus excitatis quaero. Mirum quidem videri poteſt, continuato per plures dies enematum emollientium et potuum mucilaginoſorum vſu inteſtina humectata, lubricata, relaxataque eſſe, aegrotumque haud ita multum cibi aſſumſiſſe, et tamen tantam copiam excrementorum arefactorum in alimentorum canali durante morbo collectam eſſe. Sed ſi perpendimus, iniectiones non ſatis alte ſemper aſcendere, valide conſtrictis inprimis inteſtinis; magnam potuum humectantium copiam in pluribus morbis ad obſtructionis alvinae ſolutionem non ſufficere; cauſſam ſpaſmorum non ablatam, ſed potius per ipſa ſcybala irritantia auctam fuiſſe; a vaſis ſanguiferis in inteſtinis craſſiorem foecem deponi; ſufficientem habemus ratio-

rationem ad expediendam iſtam difficultatem. Quisne igitur iam perſpicit doloris colici cauſſam? Quod autem diarrhoeam ſpectat, ſi quis a contradictione, quae, cum frequentem liquidorum deiectionem et obturationem canalis inteſtinalis vno eodemque tempore praeſentem fuiſſe aſſeramus, ſubeſſe videatur, obiectionem mouere vellet; ei id cogitandum offerimus, quod forte ſcybala indurata in ſuperiori parte inteſtinorum circa coecum ſaccum haeſerint, ibique irritationem excitauerint, qua non ſolum maior affluxus humorum eorumque ſecretio vberior determinata, ſed etiam motus periſtalticus in inferiori inteſtinorum parte auctus, eaque ratione per ipſam obſtructionem aluinam diarrhoea producta ſit. Cum etiam materia quaedam putrida ex longa retentione excrementorum enata ſit, noua ratio diarrhoeae cum obſtructione connexae eluceſcit. Certe a materia purulenta in pulmonibus reſorpta, et ad inteſtina delata minime deduci poterit, cum neque ſymptomata, alui fluxum purulentum concomitantia apparuerint, neque temporis ordo, dum ad initium vel finem eius attendimus, huic rei conueniat.

§. IX.

Quae in cute prodierunt exanthemata miliaria alba in humoribus etiam quendam morbum latuiſſe deſignant. Cuius naturae ille fuerit, haud difficile eſt perſpectu. Per principia enim pathologica patet, purpuram miliarem e corrupta fluidorum mixtione, qua ſubtilis acrimonia generatur, oriri. Haec autem modo cum vera putredine coniuncta eſt, modo non.

In

In praeſenti caſu veram humorum putredinem non adfuiſſe, tuto concludimus, cum nulla ſymptomata, quae in putridis morbis inſurgunt, in conſpectum venirent, quamuis ob vires aegroti iam debilitatas facilius determinari potuiſſent. Ortum vero illius acrimoniae tum febri, tum excrementis aluinis retentis, tum vermibus tribuamus, neceſſe eſt. Primo enim ab agitatione omnium humorum a febre dependente, materies ſanguinis reſoluitur, et acris fit. Quodſi iam liberior exhalatio per vaſa cutanea procedit, particulae acres eliminantur et blanda humorum indoles conſeruatur. Cum vero in noſtro caſu tranſpiratio cutanea per frequentes horrores ſufflaminata fuerit, haud omne acre exitum inuenire potuit. Secundo faeces inteſtinales nimis longe retentae, ob continuum calorem, quem in loco humido, aërifero, clauſo experiuntur, multum acre generant, per vaſa bibula ad ſanguinem tranſeuns. Tertio etiam vermes in inteſtinis nidulantes inter cauſſas cacochymiae a pathologicis referuntur. En triplicem fontem acrimoniae humores aegroti noſtri infeſtantis! Caeterum praeter veſiculas miliares, nullum ſymptoma deprehendimus, ad eius effectus pertinens, niſi diarrhoeam ex illa vt concauſſa deducere velles. De qua tamen re nil certi pronuntiare audeo.

§. II.

Conſtat igitur ſinguli morbi, qui complicationem ſecundi ſeptenarii effecerunt, nec non cauſſae eorum, et nexus, qui ratione ortus illorum inter eos obtinuit. Sed paucis iam ad decur-

decurſum totius morbi complicati ſpectemus. Ex diarrhoea vndecimo die oborta perſpicere licet, vberiorem humorum verſus inteſtina determinatum fuiſſe affluxum, tantae profecto vtilitatis, vt indurata ſcybala quodammodo emolleſcerent, et canalis entericus laxus atque lubricus redderetur. Quam mutationem frequens enematum iniectio multum adiuuauit. Et cum motus periſtalticus ſimul auctus eſſet, non potuit fieri, quin ſalutaris obſtructionis aluinae ſolutio eueniret, et faeces per longum tempus collectae expellerentur. Nil autem felicius contingere potuit, quam quod ſcybalorum deiectione, lumbricorum etiam ſit facta excluſio. Qua igitur ratione duo morbi, et quidem alter per alterum, vno eodemque tempore finem conſecuti ſunt, et aeger a dolore colico, diarrhoea, horroribus atque ſternutationibus liberatus eſt, remanente ſolummodo purpura miliari et ſuppuratione pulmonum, quarum tamen illa, cum purgata eſſent inteſtina, et tranſpiratio cutanea libere procederet, paulo poſt diſceſſit. En nouiſſimam mutationem, qua morbus complicatus in ſimplicem, vomicam ſcilicet pulmonalem, ſe conuertit!

§. VI.

Dum ad curationis conſiderationem accedimus, de iis tantummodo momentis, quae complicationem ſpectant, pauca diſſerere nobis propoſitum eſt. Quaecunque remedia, peripneumonia vera, ſi ſola exſtitiſſet, deſideratura fuiſſent, in noſtro etiam aegro in auxilium vocata ſunt. Fuerunt autem revellentia

et deriuantia, diluentia, resoluentia, relaxantia, antispasmotica et diapnoica. Certe alter morbus, qui secundum horrores et sternutationes in curatione solum diiudicari poterat, nullam contraindicationem, ratione illorum morborum, praebuit, sed potius maiorem vim remediorum relaxantium et antispasmoticorum, nec non diaphoreticorum flagitabat. Inter priora, quae egregie cum indicationibus peripneumoniae congruunt, sine dubio opium excellit, cuius tamen an salubris et securus effectus in praesenti casu sperandus fuisset, quaeri potest. Si in genere spectas morbum inflammatorium, nil obstat, quo minus vtile commodumque censeatur ad vehementiores alterius morbi spasmos sopiendos, dummodo ea, qua decet, quantitate adhibeatur et venaesectio praemissa sit. Pulmonum autem inflammatio, cum refluxum sanguinis a capite cohibeat, eiusque accumulationem in cerebro producat, opium autem congestiones humorum versus cerebrum augeat, et expandendo eos, vasa distendat, staminaque neruorum comprimat, periculosissimi effectus ab opii vsu in morbo, quem tractamus, metuendi fuissent. Quoad diaphoretica autem medicamenta per horrores indicata, eo magis necessaria putanda sunt, quo periculosior exitus peripneumoniae per frigus in peripheria corporis, et humorum retropulsum determinari potest. Cauendum tamen erat, ne eiusmodi diapnoica medicamenta eligerentur, quae nimium calorem in sanguine accendere, illiusque putrefactionem gignere potuissent.

Haec

Haec ita agenda fuerunt, dum vera cauſſa efficiens ſpaſinorum cognitionem noſtram fugiebat. Ponamus autem, ſigna exſtitiſſe, quae ſufficiens argumentum de vermium praeſentia praebeant, quid, quaeſo, tunc noſtri officii fuiſſet? Anthelmintica medicamenta, amara, mercurialia, ſalina, vitriolata eiusmodi ſunt certe conditiones, vt peripneumoniae verae decurſus periculoſiſſimo modo ab illis turbatus fuiſſet. Sed cum etiam mellita vermes necare poſſint, eaque, ſi aliis quibusdam medicamentis additis caueatur, ne nimium calorem corporis faciant, in peripneumonia non ſolum non ſint noxia, ſed potius ſalubria, ab illis auxilium expetendum fuiſſe, iudicamus. Nec plane vetaret poſterioris morbi natura, lenioribus laxantibus antiphlogiſticis expulſionem vermium experiri. Caeterum mihi perſuadeo, quod oleum amygdalarum bonae notae inſignem laturum fuiſſet opem. Tempore ſuppurationis autem minus periculi circa vſum medicamentorum anthelminticorum et laxantium verſabatur.

§. XII.

Cum in altero ſeptenario de naſcente abſceſſu in pulmonibus conſtaret, diluentium quidem et emollientium, et inprimis vaporis per os attrahendi vſus continuatus eſt, additis tamen antiputredinoſis, mundificantibus et diureticis medicamentis. Quae facile fuit ita eligere, vt vel leniendo morbo ſpaſtico conducerent, vel ad minimum nullum damnum illi inferrent. Nec alui obſtructionis curatio eiusmodi habet indicationes, quae illis remediis

mediis essent contrariae, sed, vt iam in §. antec. probatum est, diluentia et emollientia requirit. Purpura denique miliaris, eadem methodo generali commode salutariterque tractari potuit. Et e contraria parte, quae obstructio alui et diarrhoea in specie desiderauerunt remedia, pulmonum morbo non obfuerunt. Vomicae tandem ruptae quod attinet curationem, succis plantarum antiscorbuticarum, minime tamen calefacientium, addito melle et pauxillo myrrhae, et tentata, et egregie peracta est. Satis notum est, quantum praestent haec medicamenta, tam resoluendo tenaces et stagnantes humores, quam corrigendo materiam corporis humani ad putredinem dispositam, eamque per vasa vrinifera praecipue eliminando. Nullae autem indicationes in sanandis vlceribus grauioris momenti sunt, quam quidem tenacis resolutio putridique subactio et excretio. Mellita denique ac myrrha, vnctuosa sua materie pulmonum fibras emolllendo, expectorationem egregie iuuant. Sic igitur ratio eximii effectus ab his medicamentis in praesenti casu obseruati, dilucide patet. Noui equidem, copiosius therapiam morbi me tractare potuisse, sed, dum ad scopum meum respicio, contractus etiam hic sermo satis esse mihi videtur.

F I N I S.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE PRAESTANTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S.

P R A E S E S.

Nobile eſt argumentum, de quo Diſſertationem conſcripſiſti, ipſimulque confirmat, collectionem obſeruationum multum ad indagandas et corroborandas veritates conferre. Quilibet vero perſpiciet, TE *non rudem in Medicis Fridericianam ſalutaſſe, ſed in illa praeclaris ſtudiis ingenium exercuiſſe, acuiſſe iudicium. Expectabis forſan a me, vt modeſtum* TVVM *deſiderium, quo*

Hono-

Honorum, tam in Medicina, quam Chirurgia supremorum, viaticum acquirere contendis, beneuola comiter commendatione; sed quid illa opus est, cum proprius labor TE *satis commendet. Quod forsan dicendum adhuc, ad vitae rationes adhibitamque in addiscendis scientiis necessariis diligentiam spectare videtur. Hinc, ne* TVAM *aliorumque frustrari videar exspectationem: profiteor,* TE *tempus academicum ita collocasse, vt nec* TIBI, *nec aliis, nec publico etiam defueris, meque ex insigni ardore* TVO *in addiscendis scientiis Medico-chirurgicis magnam semper hausisse delectationem. Gratulor igitur* TIBI *curriculum vitae academicum cum laude peractum. Gratulor, quod studia* TVA *ad cathedram* TE *vsque duxerint. Gratulabundus denique faustos ominor et apprecor successus. Vale. Dabam, Halae d. VII Decemb.* CIↃIↃCCLXIX.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S.

IO. FRID. GOTL. GOLDHAGEN

PROF. MED.

Etsi, quam prolixe TIBI, TVIS*que honoribus cupiam, et* TIBI *et omnibus apud nos constat; tamen quod, quantum de noua felicitatis* TVAE *accessione laeter, ad* TE *pluribus perscribere aggressus per crebras interpellationes impediar, valde me poenitet. Necesse igitur est, vt paucissimis* TECVM *agam, et quantopere de* TVA *existimatione gaudeam, declarem. Quanta industria medicinae et chirurgiae studio deditus fueris et praeceptores* TVI *et commilitones norunt. Ego certe cognoui,* TE *nonsolum audire et legere, verum etiam meditatione assidua apud animum probe ea, quae legeras et audiueras, digerere et ad*

matu-

maturitatem perducere, tantoque id agere ardore, vt saepe de moderando tam acri studiorum cursu esses admonendus. Ita factum est, vt celeberrimis scholis ILLVSTRIS MECKELII, *Anatomici maximi nominis, aliorumque* CLARISSIMORVM VIRORVM *vsus, tam egregios celeresque progressus haberes, et cum primum Fridericianae templum salutares, magnam et animi et ingenii* TVI *expectationem omnibus concitares. Quam ita profecto diligentia et industria qua nonsolum medicinae, sed etiam philosophiae, mathesi, physicae et humanioribus, quas dicunt, litteris incubuisti, sustinuisti tuitusque es, vt praeclarum atque magnificum merearis applausum, et ego vix videam, cui maiori iure gratulari quisquam posset honores doctorales, virtutibus* TVIS *non tam splendorem tribuentes, quam potius ab illis ornandos. Itaque diuinis sub auspiciis bene prospereque eueniant* TIBI *omnia, vt viuas* TIBI, *patriae, orbi erudito, potissimum tamen aegrotis; hoc autem pacto ipsi adeo immortalitati viuas. Vale, et me amare perge. Dabam in Fridericiana d. IV. Decemb. MDCCLXIX.*

VIRO

VIRO
PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO
IOANNI HENRICO PICHT,
HONORVM DOCTORALIVM CANDIDATO
DIGNISSIMO,
AMICO SVAVISSIMO
S. P. D.
F. W. D. MVZELL
MED. C.

Arctiora amicitiae, et necessitudinis vincula, quibus TECVM *coniungor, iucundissimum mihi istud, quod impertire mihi voluisti, opponentis munus reddunt. Nullum profecto amico sincero gratius, nullum exoptatius spectaculum esse potest, quam publici honoris amici cordati agere testem; mihi enim, vt de* TVA *in rebus medicis, et chirurgicis solida scientia conuincerer, hac non opus esset solemni*

 demon-

demonſtratione. TVA *familiaritate iam diu vſus, immo quotidiano fere conuictu,* TVIS *amoeniſſimis colloquiis delectatus, ſemper* TE *conſtantem et indefeſſum veritatis ſectatorem inueni.* TE *mihi ceu diligentiae academicae exemplar, quod imitandum mihi ſumerem, quotidie propoſui. Ipſe igitur, cum mihi de* TVIS *in addiſcenda medicina laboribus, de ingenii dotibus, de* TVA *in facienda medicina dexteritate perſuaſerim, iure de dignitate Doctoris, a gratioſiſſima Facultate medica* TIBI *conferenda gaudere, aegrotisque, qui olim* TVAE *ſe commiſſuri ſunt curae, ex animo gratulari poſſum. Amitto equidem dulciſſimum benignitatis diuinae donum, amicum verum; ſed* TVA TE *officia ad altiora vocant, egoque viciſſitudinum humanarum memor eſſe debeo.* TVO *me amori in poſterum commendo, ne grauibus forſan diſtrictus negotiis me obliuiſcaris, cui* TVI *recordatio, vtpote amoeniſſima, nunquam memoriae excidet. Vale! Halae, die VIII Decembris, MDCCLXIX.*